

tia, quæ tantum id asserit de transgressione voti simplicis casuatis, quia per illud corpus videtur Deo specialiter consecratum ad munditiam; in aliis autem materiis nihil videtur violari, quod sit ita Deo specialiter sacrum secundum moralem considerationem, ideoque late & minus proprie dicendum sacrilegium, sed potius perfidia, & inhæditas. Non est tamen improbabilis Sententia Cajetani; pro qua vide Lotb. Tract. 16. q. 9. a. 2.

Dices: ut aliquis locus, aut res censetur Sacra, requiritur, quod auctoritate publica deputetur ad cultum divinum, ut dicitur infra: ergo similiter persona. R. N. Cons. Disparitas est, quod persona vovens non se deputet Deo, nisi quoad actus proprios, unde sufficit propria voluntas. Locus autem, aut res deputatur cultui divino quoad usum communem, sicque requiritur auctoritas publica.

Dico 2. (Ibid. a. 2. o.) Sacrilegium est speciale peccatum oppositum Religioni: quia invenitur in eo specialis ratio difformitatis opposita Religioni, qua videlicet violatur res sacra per aliquam irreverentiam.

Dico 3. (Ibid. a. 3. o.) Sunt tres species Sacrilegii: quia, cum debeat reverentia rei sacre ratione sanctitatis, tantum sacrilegium est gravius, quantum res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem; ideo secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est distingui species Sacrilegii; atque attribuitur sanctitas 1. personis sacris, id est, divino cultui deputatis ut subjectis sanctitatis, qua formaliter sunt sancta. 2. Locis, ut contentivis personarum & rerum sacrarum. 3. Aliis rebus relative, quatenus causant, vel significant sanctitatem, aut ad sanctos ordinantur alio modo: ergo sunt tres species sacrilegii; una contra personam sacram. Secunda contra locum sacrum. Tertia contra rem sacram, strictius sumpto nomine rei prout distinguitur a persona & loco, quarum singulæ in varias species, seu gradus subdividi possunt.

Quantum ad 1. speciem fit 4. modis. 1. Inferendo manus violentas in Clericum. 2. Violando luxuriose corpus Deo sacrum per votum continentie. 3. Trahendo personam Ecclesiasticam ad Tribunal seculare. 4. Exigendo ab iis per potestatem secularem Tributa & Vestigia. Si tamen hæc duo ultima fiant aliter, quam Ecclesie, seu Romani Pontificis indulta permittant.

Quantum ad 2. speciem notandum juxta Canonistas, locum sacrum dici eum, qui auctoritate publica deputatus est ad sacrificium Missæ, Ecclesie sacramenta, & divina officia celebranda, tametsi nondum sit consecratus, aut benedictus: C. Ecclesie. De immunit. Ecclesiarum (Layman, qui l. 4. Tract. 10. c. 7. n. 4. §. 6. ita censet, tamen libr. 5. Tract. 5. c. 5. dicit, contrariam sententiam observari in praxi) quales sunt Ecclesie & Cæmeteria, non tamen Sacristie, aut cameræ Ecclesie adjacentes. Item nec oratoria privata, aut eremitoria non consecrata, aut benedicta, licet Episcopus dederit licentiam in eis Missam celebrandi, quia ad nunc Dominum possunt nihilominus ad usus profanos converti: nec etiam Xenodochia, quæ auctoritate Episcopi non sunt erecta. In favorabilibus tamen, puta quoad immunitates, locis sacris annumerantur Sacristie, cameræ adjacentes Ecclesie intra 30. passus, & Monasteria. Caus. 17. q. 4. c. Quisquis 21. Ad eam ergo speciem pertinent omnia, quæ sunt contra sanctitatem loci sacri. Et 1. quæ illam polluant, scilicet homicidium culpabile, aut injuriosa sanguinis effusio, quæ sit mortalis & copiosa; effusio enim dicitur plusquam aliquam guttulam: sufficit tamen vulnus infligi homini existenti in loco sacro, licet ab homine existente extrâ, aut sanguis extrâ effundatur, aut vulneratus extrâ moriatur, juxta Layman l. 5. Tract. 5. c. 5. n. 7. Item effusio voluntaria seminis. Plures, aliis contradicentibus, excipiunt casum, quo conjuges cogerentur diu manere in loco sacro cum periculo incontinentie; item sepultura excommunicati vitandi, ut infidelis. Per infidelem non intelligitur Cathecumenus; nec proles nondum nata cum matre defuncta, quia censetur pars matris. Secus existimant Sylvius 3. p. q. 38. a. 3. q. 1. si extracta a ventre matris in eodem reponatur, aut sepeletur cum matre; quia, inquit, non censetur amplius pars matris. Sed posset quis reponere, non minus adhuc censeret moraliter partem matris, quam manum, aut pedem amputatum, & cum hæc sint odiosa, esse restringenda. Nota, quod, ut locus sacer per præcedentes actus censetur pollutus, sic ut indiget reconciliatione, debeant esse notorii, notorietate facti, vel juris, non tamen ut sacrilegii reatus incurratur.

2. Ad eandem speciem pertinent effractio, aut spoliatio, ut incendium loci sacri, eversio Altaris. Ubi nota

quod effringens simul & spolians excommunicatur ipso facto, C. Conquesti 22. De sentent. Excomm. Non effringens tantum, nec spolians tantum.

3. Ad eandem speciem pertinet extractio violenta, aut fraudulenta personæ, quæ asyli causa ad locum sacrum confugit, exceptis iis, quos excipit Greg. XIV. Bulla Cum alias, data 1591. scilicet: Qui fuerint publici latrones, viarumque grassatores; qui itiner a frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggregantur, depopulatores agrorum; quæ homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cæmeteriis committere non verentur; aut qui proditoriè proximum suum occiderint; aut assassini; vel heresis, aut Læse Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei. Sunt verba Bullæ. Circa quæ nota 1. Quod ille etiam censetur proditoriè occidere, qui occidit veneno. 2. Nominè assassini intelligitur, qui pretio conductus hominem incautum occidit. Non solum autem mandataris, sed etiam mandans privatur immunitate: quia, qui facit per alium, perinde est, ac si faceret per se ipsum, ut fert Regula Juris 72. in 6. In dubio, an reus gaudere debeat immunitate, ad Episcopum pertinet resolvere; & ubi resolvit reum non gaudere immunitate, Judex Laicus non potest eum statim extrahere e loco sacro, sed prius debet haberi licentia Episcopi, aut ejus Officialis, & interesse nomine Episcopi, aut Officialis, aut Persona Ecclesiastica.

4. Ad eandem speciem pertinet furtum in loco sacro, sive res furtiva sit illic deposita causa asyli & securitatis, sive non. Itã probabilis Sylvester, Cajetanus v. Sacrilegium, Sylvius hic, & alii. 1. Quia in Jure sic legitur caus. 17. q. 4. cap. Quisquis: Similiter sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro. Unde cum Jus non distinguat, nec nos distinguere debemus. 2. Quia ut dicitur Sylvius, hoc ipso quo locus est sacer, tanta ei debetur reverentia, ut sit asyllum omnibus rebus, quæ in eo sunt, etiam eo animo non fuerint illic depositæ; ac proinde contra loci reverentiam est, si quodlibet furtum ibi perpetretur.

5. Tandem ad eam speciem pertinet actus profani, a Jure prohibiti specialiter in reverentiam loci sacri, nempe strepitus forensis secularis, mercatura, convivia, confabulationes, &c. quæ tamen committunt non excedunt culpam venialem, nisi sit gravis excessus, aut notabilis Officii Divini perturbatio, aut scandalum.

Cætera verò peccata, sive interna, sive externa, commissa in loco sacro, quæ non contrariantur ei, ad quod sanctus est, neque Jure positivo in ejus reverentiam prohibentur, ut detractiones, mendacia, perjuria, blasphemie, & similia, non sunt sacrilegia: quia, licet hæc circumstantia loci sacri aliqualem indecentiam importent, non tamen est gravis præcisè ratione loci sacri, nec transfertur in speciem sacrilegii, quia non est violatio rei sacre, in quo est sacra. Sicut nec omne peccatum, quod committitur persona sacra est sacrilegium; sed solum id, quod est contrarium ei, ad quod est sacra, ut si Virgo Deo dicata fornicetur. Itã committitur post D. Th. hic a. 3. ad 3. contra Suarem, & alios paucos.

Quantum ad 3. speciem sacrilegii, quæ circa res sacras alias a personis locis, committitur, diversos etiam habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum (Ibid.) Primum locum tenent Sacramenta, (Ib.) quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistie Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Ad hanc ergo speciem reducitur omnis abusus Sacramentorum, & eorum perceptio, seu ministratio in statu mortifero, sed maxime violatio Sacramenti Eucharistie, quod est gravissimum sacrilegium inter ea scilicet, quæ pertinent ad hanc tertiam speciem; (3. p. q. 80. a. 5.) gravis enim foret sacrilegium, quod committeretur in ipsam Christi personam in propria specie se exhibentem, quale fuit Judæorum Christum crucigentium. Nec obstat, quod in Eucharistia sit etiam persona Christus, quia Christus non se exhibet in forma personæ, vel rei animate, sed per modum cibi & potus. Et ideo S. Doctor hic non ad primam, sed ad hanc 3. speciem sacrilegii refert.

Secundum locum obtinent (Hic a. 3. o.) vasa ad susceptionem, seu administrationem Sacramentorum consecrata, vel benedicta: item cruces, imagines, reliquie Christi, & Sanctorum: hæc etiam revocari possunt sacrum Christum, Oleum benedictum, Sacra Nomina Christi & Sanctorum, Sacrum Evangelium, & tota Scriptura Sacra, Hymni, Cæremonie Ecclesiasticæ, ita ut eorum indignæ tractationes sint sacrilegæ, plus vel minus secundum quod res sunt plus, vel minus sacre: ut si bibas in sacro Va-

56

se, ut fecit Balthasar: si concules imagines: si verba Scripturæ adhibeas ad facietas, amatoria, ad hæresim stabilendam, &c. Hæc etiam referri potest omnis irreverentia, quæ committitur in recitando Divino officio, sacris Cæremoniis obeundis, in musica lasciva, aut profana rebus divinis adhibita.

Tertium locum obtinet, (Ib.) quæ pertinent ad ornatum Ecclesie & Ministrorum, ad quæ reduci possunt cerei, aqua benedicta, & alia Sacramentalia, ut si vestibus Sacerdotalibus utaris ad usus profanos, aut ad ludicia. Quarto loco (Ib.) reponuntur jura & bona Ecclesiastica, hoc est, bona depurata, seu legata ad sustentationem Ministrorum & Ecclesie obsequium, tam mobilia, quam immobilia: hæc enim, licet in se nullam sanctitatem habeant, tamen Jure Canonico ob reverentiam, quæ debetur cultui Divino, ad quem ordinantur, debent esse immunia a secularium invasione, detractione, & defraudatione, quæ ideo in Jure sæpe dicuntur sacrilegæ: secus, inquit Layman libr. 4. Tract. 10. c. 7. n. 15. quando per legitimam distributionem facta sunt propria pauperum, aut Ministrorum Ecclesie.

Sacrilegii hujus speciei adjungit Lessius violationem diei Dominicæ & Festorum; quia juxta ipsum sacra sunt, & ipsis debetur reverentia quædam, quatenus sunt mensura sacrarum actionum. Sed vult ea tantum violari per opera servilia, aut prohibita, non per omissionem sacri; quia juxta ipsam sacrilegium sonat actum positivum. Quod tamen non videtur universaliter verum, saltem moraliter loquendo: licet enim sacrilegium plerumque sit peccatum commissionis, interdum tamen potest esse omissionis, ut si v. gr. Ecclesie Ministri sacrum Fontem Baptismalem ab immunditiis non custodiant, sacra Vasa, Corporalia, & alia lineamenta lavare aut reficere negligant, & maxime si sint negligentes in asservatione & renovatione SS. Eucharistie: videtur, inquam, talis negligentia posse dici sacrilega moraliter loquendo.

Petes 1. utrum sacrilegium sit semper peccatum mortale? R. Sacrilegium, quod fit ex directa & formali intentione res sacras inhonorandi, est semper mortale propter

contemptum formalem rei sacre, qui reducitur in Deum. Si vero fiat ob alium finem, admittit levitatem materie. Ad quod discernendum tenenda est regula S. Doct. (Ib.) de qua jam supra, nimirum: *Tantum sacrilegium est gravius, quantum res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem.* Adde & quo gravior est profanatio. Sic furtum leve in loco sacro est peccatum veniale.

Petes 2. quæ sit poena conveniens sacrilegiorum? R. (Ib. a. 4. o.) quod in poenis duo sint consideranda. Primum, æqualitas cum culpa ad hoc, quod poena sit justa, ut scilicet in quo quis peccat, per hoc torqueatur, ut dicitur Sap. 11. Et hoc modo poena conveniens sacrilego, qui sacris injuriam infert, est excommunicatio, per quam à sacris arceatur. Nota tamen, quod, licet hæc sit poena conveniens sacrilegis, non ideo omnes sacrilegos ipso facto esse excommunicatos, sed tantum Clericorum percussores, cap. Si quis suadente caus. 17. q. 4. Effractores simul & spoliatores Locis sacri. c. Conquesti tit. de Sent. excomm. Gabellarum impositores, aut exactores a Clericis in Bulla Cane casu 18.

2. (Ibid.) Consideratur in poenis utilitas. Nam poena quasi medicinæ quædam infligitur, ut his terribi homines a peccando desistant. Sacrilegus autem, qui sacra non veretur, non sufficienter videtur a peccando arceri per hoc, quod sacra ei interdiciuntur, de quibus non curat: & ideo secundum leges humanas adhibetur poena capitis Cod. l. 1. tit. 2. l. 5. 10. 14. secundum vero Ecclesie statuta, quæ mortem corporalem non infligit, adhibetur poena pecuniaria, Caus. 17. q. 4. cap. Quisquis. cap. Omnes Presbyteri. cap. Qui Subdiaconum, ut saltem poenis temporalibus a sacrilegis revocentur. Opportune hic advertit Sylvius ex citatis Canonibus & ex D. Thom. manifestum esse Ecclesiasticos Judices habere potestatem infligendi delinquentibus poenas pecuniarias: quod etiam agnoscunt Principes seculares in Capitularibus Francorum l. 3. c. 25. & l. 4. c. 15. relatis in citatis Canonibus Omnes Presbyteri: & Qui Subdiaconum. Pro tota hæc materia vide Layman libr. 4. tract. 10. cap. 7. & libr. 5. cap. 5.

DISSERTATIO XI.

DE SIMONIA.

Div. Thom. Quæst. 100.

ARTICULUS I.

Quid sit Simonia

Dico 1. (Q. 100. a. o.) Simonia communiter definitur, *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Explicatur: Dicitur *Voluntas*, (Ibid. ad 2.) id est, actus voluntatis; sicut enim iustitia & partes ejus sunt in voluntate tanquam in subiecto, ita & omnia vitia illis opposita, & consequenter Simonia dicitur *studiosa*, id est, deliberata. Dicitur (Ib. ad 5.) *Emendi, vel vendendi*, per quod intelligitur omnis contractus non gratuitus, id est, contratus, quo res spiritualis aliquo pretio temporali, vel alia re pretio æstimabili appetitur & compensatur, ut sunt locatio, conductio, commutatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, &c. Ad simoniam ergo proprie dictam essentialiter requiritur, quod temporale intendatur explicitè, vel implicitè ut pretium rei spiritualis: alias non erit venditio; aut emptio, neque quisvis alius contractus sic onerosus, qui nomine venditionis, vel emptiois possit intelligi. Et hæc est communis sententia Theologorum & Canonistarum, & maxime S. Thomæ, non solum in definitione tradita, sed etiam in sequentibus articulis, ubi probat non esse simoniam aliquid temporale recipere pro concionibus, pro orationibus, & aliis similibus spiritualibus, modo non recipiatur ut pretium, sed ut stipendium, vel aliquo alio honesto titulo.

Nec obstat, quod hic videatur accusare simonice permutationes Beneficiorum, in quibus temporale non intervenit. Non enim S. Doctor dicit, eas esse simoniacas, ut dixerat in 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 8. Sed non fieri *absque periculo Simonie.* Quod verum est, quia periculum est, ne sic permutantes conveniant de aliquo pretio, vel compensa-

tione temporali. Aliunde, cum a Jure prohibetur fieri has permutationes auctoritate privata, sunt simoniacæ simonia Juris Ecclesiastici, ut dicitur infra.

Dicitur *Spirituale*, hoc est, supernaturale, nimirum ut a Deo Auctore supernaturali proveniens; aut ad Deum ut salutis spiritualis Auctorem ordinans. (Art. 2. & 3. o.) Est triplex: Spirituale per essentiam, ut gratia, Jurisdictio Ecclesiastica, &c. Spirituale causaliter, quatenus est causa spiritualis effectus, ut Sacramenta. Spirituale effectivè, quatenus provenit a causa spirituali, id est, sanitas collata per gratiam miraculorum. Dicitur, *vel spirituali annexum* (Art. 1. ad 6.) Id non est sic accipiendum, quasi non sit spirituale, sed quia non est spirituale secundum se, & ex se, licet ita sit per adhesionem ad spirituale. Sicut, licet corpus secundum se non vivat, vivit tamen ex unione.

Dico 2. Simonia non solum prohibetur Jure positivo causa. 1. qq. 1. & 2. & L. 5. Decret. toto titulo 3. (Ib. o.) Sed etiam est ipso Jure nature mala. Prob. 1. (Ib.) Res spiritualis utpotè superioris ordinis non potest aliquo terrene pretio æstimari & compensari, absque eo quod deprimat, & ei gravis injuria irrogetur. Unde Proverb. 3. de Sapientia dicitur: *Pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Et Petrus Act. 8. in ipsa radice Simonis pravitatem condemnans, dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quantum domum Dei existimasti pecunia possideri;* atquin hoc sita est Simonia: quod res spiritualis pretio terrene æstimetur & compensetur: ergo. Prob. 2. (Ib.) id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus; atqui homo non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator tantum, secundum illud 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei:* ergo. Probatur 3. (Ib.) Venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex grati-

14

ta Dei voluntate proveniunt. Unde & Dominus dixit Matth. 20. *Gratis accepistis, gratis date*: ergo. Nec obstat, omnia etiam temporalia esse ex gratuita Dei voluntate, idque, quod gratuitè accipiunt, posse juxta occurrentem necessitatem vendi. Intelligendus est enim S. Doctor de his, quæ supra naturæ debitum gratis a Deo homini dantur in ordine ad salutem, quæque talia sunt ex natura sua, ut nulla humana industria acquiri possint.

Dico 3. (*Ibid. ad 1.*) Simonia est vitium oppositum Religioni, non fidei. Est enim voluntatis, non intellectus, vitium, quo exhibetur irreverentia rebus sacris, quod pertinet ad irreligiositatem. Nec refert, eam quandoque dici a Patribus, & in Jure Hæresim Simoniacam; (*Ibid. ad 1.*) sic enim appellatur, non quod sit verè & propriè Hæresis, sed 1. secundum exteriorem protestationem, quatenus in hoc, quod aliquis vendit donum Dei, quod foret hæreticum, se esse dominum spiritualis doni, quod foret hæreticum, si sic interius sentiret. 2. Quia Simon Magus, a quo nomen accepit, erat aliunde Hæreticus; dixit enim mundum non esse a Deo creatum, imò in hac ipsa materia simoniae verosimiliter fuit Hæreticus; quod non tantum voluerit emere donum Spiritus S. sed etiam crediderit id posse fieri: *Existimabat enim, ait Scriptura, Donum Dei posse pecunia considerari*. Hunc illi errorem tribuant Ambrosius, & Alphonsus a Castro. Ab isto ergo Simone sortita nomen est simonia, quia fuit primus tempore novi Testamenti, qui leonitur hoc peccatum commississe. Act. 8. Nam Judas vendendo Christum nullam habuit rationem spiritualitatis ejus personæ, quam ut divinam non agnoscebat, undè non fuit formaliter Simoniacus. Dico: tempore novi Testamenti; quia in veteri Balaam & Giezi hoc crimen commiserunt.

Dico 4. Peccatum simoniae est ex genere suo peccatum mortale, nec admittit levitatem mater. Prob. 1. pars: quia gravis injuria irrogatur rei spirituali, dum rebus vilibus terrenis æquiparatur, & non secus ac istæ venditioni subijcitur. Undè Act. 8. Petrus Simoni Mago imprecatur. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Et in Jure caus. 1. q. 1. c. 7. Dicitur *flagitium execrabile*. Prob. 2. pars quia, quantumvis res sit in parvo gradu spiritualitatis, semper est magna injuria eam terrene pretio æstimare, & quo minus pretium datur pro re spirituali, eò minus videtur æstimari.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Simonia.

Dico 1. Celebris est divisio Simoniae in simoniam Juris naturalis & divini, & in Simoniam Juris positivi Ecclesiastici. Prima prohibetur, quia mala. Altera mala est, quia prohibita. Primi generis est, dum ea, quæ sunt ex se spiritualia, aut spiritualibus annexa, ut gratiæ, Sacramenta, Jurisdicção Ecclesiastica, &c. venduntur, vel emuntur. Secundi generis est, dum ea, quæ quidem ex se non sunt sacra, aut spiritualia, tamen ab Ecclesia vendi aut emi prohibentur propter propinquitatem vel ordinem, quæ habent, aut quem ipsis confert Ecclesia ad sacra & spiritualia, qualia sunt officia ad temporalium Ecclesiæ bonorum administrationem, aut economatus, advocatio, judicatura &c.

Quidam Recentiores post Derandum existimant, hanc simoniam non esse propriè dictam simoniam, sed dici simoniam in Jure, quia talibus contractibus constituta sunt pœnæ simoniacorum. Rationes hujus sententiæ sunt: 1. quia Ecclesiæ sua prohibitione præcisè non potest efficere, quod id, quod non est ex se sacrum, seu spirituale, sit sacrum, aut spirituale; quod tamen necesse est ut committatur simonia in ejus venditione, aut emptione. 2. quia facere id, quod ex prohibitione Juris tantum est malum importat solum peccatum inobedientiæ, cum tota ratio peccati sit ex violatione præcepti humani. Hæ rationes non sunt contentendæ, maxime prima. His tamen non obstantibus communior Canonistarum & Theologorum sententiæ est, hanc simoniam esse verè & propriè dictam simoniam: quæ, licet Ecclesiæ sua prohibitione non faciat rem non sacram esse sacram, nisi benedictione aut consecratione adhibita, quod hic non intervenit, facit tamen, ut sit invendibilis ratione conjunctionis, aut ordinis ad rem sacram; & cum dignitas rei sacræ servanda sit motivum & objectum formale talis prohibitionis, violari non potest prohibitio, nisi ipsa dignitas rei sacræ violetur, quod constituit vitium simoniae.

Dices: non idè vendi rem sacram, aut spiritualem pro

temporalis, quod requiritur ad simoniam: siquidem res, de qua est prohibitio, ex concessis non fiat sacra per prohibitionem. R. Equidem non vendi directè rem sacram; tamen vendi indirectè, in quantum venditur res prohibita vendi propter rem sacram, cui annexa est, ita ut eam vendendo censeri ipsam rem sacram vilipendere, & pretio temporalis æquiparare: non secus ac ipsam rem non sacram, quæ non nisi motivo & ratione dignitatis illius rei sacræ servandæ prohibetur vendi. Et hinc patet responsio ad primam rationem in contrarium.

Confirmatur. Lex humana facere potest materiam necessariam virtutis, quæ ex se talis non est, quatenus non præcipit, aut prohibet præcisè, sed præcipit, aut prohibet in certa materia ex motivo talis virtutis, ita ut virtus sit objectum formale Legis. Sic præcipiendo auditionem Missæ in die Festo ex motivo Religionis facit hunc actum esse materiam necessariam Religionis, & ejus omissionem esse peccatum contra Religionem. Prohibendo vesci carnis peccat Quadragesimæ ex motivo abstinentiæ Christianæ facit hunc actum esse contra Religionem. Prohibendo avelli fœrum a loco sacro propter sanctitatem loci, facit hunc actum esse profanationem loci sacri, & sacrilegium: ergo similiter, dum prohibet rem non sacram vendi ex motivo Religionis, scilicet propter reverentiam rei sacræ cui conjungitur, aut ad quam ordinatur, efficit, quod talis venditio sit contra Religionem peccatum simoniae.

Et per hoc patet Responsio ad 2. rationem in contrarium, scilicet non esse solum peccatum inobedientiæ talem legem transgredi: in hac enim & similibus legibus currit duplex ratio obligandi: una generica obediendi, quæ præcisè provenit ex præcepto Superioris, abstracto ab hac vel illa materia virtutis; & hæc est communis omnibus legibus. Altera specifica, quæ supposita lege resultat ex conditione materiæ & particulari honestate objecti formalis, seu motivi, quod Legislator in illa materia respicit.

Hoc genus simoniae, ut jam dixi, habet locum in venditione, aut emptione officiorum Ecclesiæ, & in variis rebus, quarum venditionem, aut emptionem Ecclesia prohibet propter ordinem, quem habent ad res sacras. Ad id genus refert Lessius venditionem & emptionem Beneficiorum quoad partem temporalem, sed malè, ut dicemus infra; ubi etiam de permutatione Beneficiorum, de qua est specialis difficultas, an sit simonia Juris naturalis, aut Ecclesiastici tantum.

Dico 2. Iterum dividitur in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis est, cum nullum intercedit pactum, aut conventio, sive expressa, sive tacita, sed solum est animus vendendi, seu emendi, sive dandi, vel accipiendi aliquid temporale ut pretium pro spirituali, vel è contrà; & est duplex, una consistentis in nuda voluntate committendi simoniam, v. gr. emendi Beneficium absque eo quod aliquid exterius agatur: sicut voluntas occidendi inimicum dicitur homicidium mentale. Altera consistentis in actione externa facta animo simoniae, sed nullatenus exterius manifestato, ut si collator exterius gratis conferat Petro Beneficium, intendens tamen ipsum obligare ad gerenda sua negotia.

Conventionalis est, cum intercedit quidem pactum, aut conventio expressa, vel tacita dandi temporale pro spirituali, & è contrà; sed tamen executioni non mandatur saltem ex utraque parte. Si ex nulla parte impleatur, est pure conventionalis; si ex una, dicitur conventionalis mixta. Realis simpliciter est, quando conventio expressa, vel tacita ex utraque parte impletur, saltem quoad aliquid, si non quoad totum.

Nota diligenter pro tota hac materia de simonia REGULAM generalem Juris, scilicet: *Omnem actionem, omnium conventionem in spiritualibus, obligantem ad id, quod non inest jure, cessare debere, nullam esse, & esse simoniacam; ad minus simonia Juris Ecclesiastici*. Caus. 1. q. 1. C. *Quam pio*. l. 1. Decret. t. 35. de pactis cap. ultimo. *Ibid.* l. 5. t. de sim. cap. *Tua nos*. Et alibi pluries. Huic tamen Regule generali derogatum est in quibusdam rebus & functionibus spiritualibus per contrariam consuetudinem communiter receptam, videntibus & non contradicentibus Ecclesiæ Prælati, v. gr. Viri Religiosi pascuntur tuis equum, sed solum ut te determines ad illum mihi tradendum. Sic in nostro casu.

ARTICULUS III.

Utrum sit simonia dare temporale tanquam motivum obtinendi spirituale, & contrà; aut ex mera gratuitudine?

Quæstio difficilis, & alea ac periculo plena in praxi. Hinc enim videntur militare principia pro veritate, illinc extrinsece inconvenientia contra disciplinam. Utrunque syrtis. Duce meo Sole Angelico conabor mediam tenere viam, & neque ad dexteram nimii rigoris, neque ad sinistram nimie laxitatis declinare. Unde

Dico 1. Dare temporale tanquam motivum proxime & immediate obtinendi spirituale, & è contrà, absque interventu alterius motivi veri & honesti, propter quod temporale datur, aut ex quo expectetur spirituale, est vera simonia. Mihi videtur certa & communis saltem nunc, nec, nisi a Casuistis longè plus æquo mollioribus, non satis tuto impugnanda. Prob. 1. ex damnatione propositionum sequentium ab Innoc. XI. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur, tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando per temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contrà*. Est 45. Eandem propositionem jam antea confixerant Universitates Parisiensis & Lovaniensis. *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiam si sit spirituale sic, ut illud plurius æstimetur, quam res spirituale*. Est 46. ergo est vera simonia dare temporale tanquam motivum obtinendi spirituale, absque interventu alterius motivi veri & honesti, propter quod datur temporale.

Prob. 2. Ratione. Dare temporale ut motivum proxime, & immediate obtinendi spirituale & è contrà, absque interventu alterius motivi veri & honesti, propter quod datur temporale, aut ex quo expectetur spirituale, est dare temporale virtualiter ut pretium spirituale; atqui in hoc sita est ratio formalis simoniae: ergo. Minor est certa. Prob. Maj. in qua est difficultas. Tunc habetur saltem virtualiter & secundum morealem æstimationem intentio pretii, quando una res datur & commutatur pro altera, licet non intendatur explicitè & quasi in actu signato hanc rem esse pretium alterius; id enim non requiritur ad contractum onerosum, puta venditionis: sed sufficit, ut datur una res in commutationem alterius; per hanc enim habitudinem morealem unius rei cum altera commutandæ habetur ratio formalis constitutiva pretii, ut patet in omnibus contractibus onerosis; atqui, qui dat temporale tanquam motivum proxime & immediate obtinendi spirituale absque interventu alterius motivi veri & honesti, propter quod datur temporale, aut ex quo expectatur spirituale (quale foret v. gr. motum stipendii, aut injustæ vexationis redimendæ) nihil aliud facit, quam commutare temporale pro spirituali: ergo.

Si dicas, ad rationem pretii requiri, quod unum commutetur pro altero ex æstimatione & appreciatione unius ad alterum: Esto. Sed, qui dat temporale præcisè pro spirituali, obtinendo nullo alio interveniente motivo, dat temporale pro spirituali propter æstimationem & appreciationem, saltem implicitam, unius ad alterum; ob quam enim alteram causam daret, cum supponatur intendere unice & immediate obtentionem spiritualis pro temporalis, nullo alio interveniente motivo?

Repones, temporale non dari proxime & immediate ad obtinendam rem spiritualem, sed ad determinandum animum collatoris ad conferendam rem spiritualement, mediante qua determinatione obtinetur res spiritualis. R. Moraliter loquendo, non esse distinguendum in contractibus inter intentionem determinandi animum venditoris ad vendendam suam mercem, & inter intentionem obtinendi illam. Imò emptor offerendo pretium, quid aliud intendit, quam determinare venditorem ad vendendas suas merces? Et sanè cachinnis excipienda foret, qui diceret venditori, offero tibi centum nummos, non quidem ad obtinendum tuum equum, sed solum ut te determines ad illum mihi tradendum. Sic in nostro casu.

Dices insuper: Non est simonia sine pacto, cum sit emptio, aut venditio, aut alter contractus onerosus; atqui hic nullum intervenit pactum, ut suppono: ergo. R. D. Maj. non est simonia sine pacto explicito, vel implicito, Transeat: sine pacto explicito, N. Et ad hunc sensum D. Min. N. Consequ. Quando ergo datur temporale ex solo motivo immediate obtinendi spirituale, & spirituale non rependitur, nisi ex sola ratione dati temporalis; non minus intervenit pactum implicitum, quam si daretur Titio

centum nummos ex solo motivo obtinendi ejus equum, & ille ratione hujus summæ mihi traderet equum. Quod si forte ex una parte concurrat aliud motivum verum & honestum, tunc ex altera parte erit simonia mentalis, ad quam non requiritur pactum, sed sufficit voluntas vendendi, aut emendi, sive dandi pretium temporale pro spirituali, & spirituale sub pretio æquali. Undè ad distinctionem Majoris dixi: Transeat.

Confirmatur ex Jure hac probatio nostra cap. *Tua nos* Extra. de Simonia, ubi Innoc. III. ad veram culpam simoniae, de qua ibi loquitur, non requirit formalem, & explicitam intentionem commutandi temporale cum spirituali, sive dandi temporale tanquam pretium spirituale, & è contrà; sed sufficere judicat virtutem, inclusam in intentione obtinendi spiritualia per temporalia. Hæc sunt ejus verba: *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admittunt, sine dubio iam ille, quam isti apud districtum Judicem, qui scrutator est cordium & cogitator secretorum, culpabiles judicantur*. Quam inquam, intentionem, nullo alio motivo interveniente, judicat Pontifex involvere pactum implicitum, & idè sufficere ad simoniam.

Prob. 3. ab absurdo. Si non sufficeret ad simoniam, quod temporale datur ut motivum proxime & immediate obtinendi spirituale eò modo, quo explicuimus, & in quo diximus includi intentionem virtutem pretii, sed requireretur, quod datur formaliter & explicitè tanquam pretium nullus unquam, nisi prorsus hebes & stupidus, committeret simoniam, siquidem nihil sit facilius, quam offerendo aliquod munus illud intendere ut motivum, & non formaliter ut pretium. Imò ipse Simon Magus, Simoniacorum Pater, a simonia foret excusandus: non enim verisimile est, quod obulerit Apostolis pecuniam formaliter & explicitè ut pretium, sed duntaxat ob motivum obtinendi donum Spiritus S. Absurdum Consequens: ergo.

Dico 2. Dare temporale tanquam motivum obtinendi spirituale, & è contrà, non immediate, sed mediante alio motivo vero & honesto, propter quod datur temporale, aut ex quo expectetur spirituale, non est simonia. Pro hac sententiâ, quæ mihi est probabilior, & ut puto communior, si non quoad terminos, saltem quoad sensum, citatur Cajetanus in Summula v. *Simonia*, Navarrus Encicliid. cap. 23. & libr. 5. cons. de Simonia cons. 14. Soto l. 5. de Justitia q. 6. a. 2. Binsfeld. c. 12. de Simonia q. 1. concil. 3. Sylvius tom. 1. resolut. de Simon. casu 4. & hic per totam questionem, Bonacin. disp. 1. de Simon. q. 1. n. 6. dicens esse communem, Layman l. 4. T. 10. c. ultimo §. 2. de Simonia. n. 10. Lessius hic, Suarez de Relig. l. 4. c. 36. Cabassutius theoria & praxis, &c. l. 5. c. 3. n. 6. & 11. Covarr. & alii plures; & quod præcipuum est, omnino consentanea est principii D. Th. & omnium Scholarum.

Prob. Simonia ex sua ratione formali essentialiter requirit, ut temporale datur pro spirituali tanquam pretium vel formaliter, vel virtualiter, ut explicatum est; atqui dare temporale ut motivum obtinendi spirituale, quando intervenit aliud motivum verum & honestum, propter quod datur temporale, aut ex quo expectetur spirituale, non est dare temporale ut pretium spirituale neque formaliter, neque virtualiter: ergo.

Major constat ex definitione simoniae, quam art. 1. tradidimus ex D. Th. & quam omnes Scholæ, tam Theologorum, quam Juristarum, communiter recipiunt, ita ut quidam, quo valeant impugnare nostram sententiâ, cogantur fabricare simoniae definitionem, ut videre est apud Henricum a S. Ignatio l. 10. c. 55. quasi foret unius particularis rerum essentialis mutare, & communem hominum intelligentiam corrigere. Et sanè, si a notione simoniae rationem pretii saltem virtualiter intenti removeas, omnem simoniae malitiam abstergis, quandoquidem tota ejus essentialis malitia sita sit in hoc, quod res spiritualis vili & terreno pretio æstimetur & compensetur, quodquæ non sit debita materia venditionis cum ratione originis, tum defectu domini, ut arguit S. Doctor hic & alibi constantè. Prob. ergo Minor. Qui dat temporale tanquam motivum obtinendi spirituale, interveniente altero motivo vero & honesto, propter quod datur spirituale, aut ex quo expectetur spirituale, non dat temporale formaliter & explicitè in pretium, ut patet; neque virtualiter, quod probatur: Tunc habetur intentio virtualis pretii, quando una res commutatur pro altera, ut dicitur in prima conclusione; atqui, qui dat temporale ut

motivum obtinendi spirituale, interveniente altero motivo propter quod datur temporale, aut ex quo expectetur spirituale, non commutat temporale pro spirituali, sed dat temporale propter illud aliud motivum, aut expectat spirituale ex illo, & non immediate nec precisè vi doni temporalis; v. gr. qui dat Sacerdoti pecuniam pro Missa, alias non daturus, dat temporale ut motivum obtinendi Missam, ut patet, non tamen commutat pecuniam pro Missa, nec consequenter dat illam ut pretium Missæ, quia subest illi vera & legitima causa, propter quam dat pecuniam, scilicet sustentatio Sacerdotis: ergo.

Quapropter (& hoc est diligenter notandum, in quo nempe nonnulli hallucinantur) ex illa conditione negativa precisè, quod sine commoto temporali non esset quis daturus spirituale; aut e contra, quod sine spe spiritualis non esset daturus temporale; non colligitur sufficienter virtualis intentio simoniæ, sed requiritur, ut re ipsa non interveniat alia causa honesta dandi, vel recipiendi temporale, seu spirituale, aut certe quod non intendatur ab operante. Patet ex jam dictis, & est in terminis D. Th. (Quodl. 8. a. 11.) Sic juxta ipsum Canonicum, qui vadit ad Ecclesiam propter retributiones, alias non intrus, non est simoniacus, quia non ponit impetibile sub pretio, sed habet causam intendendi stipendium ut conditionem, sine qua Ecclesiam non frequenter. (Hic a. 3. ad 2.) Sic juxta eundem, qui confert elemosinam pauperi ad obtinenda orationum ejus suffragia, alias non collaturus, non est simoniacus, ut omnes, ni fallor, conveniant, excepto forte solo Patre Henno. Quia faciendi ex charitate elemosinam corporalem habet legitimam rationem expectandi spiritalem ex charitate reciproca & gratitudine pauperis; atque conformiter ordinae Divinae Providentiæ, quæ vult divites sibi facere amicos de mammona iniquitatis. (Ibid. ad 4.) Sic iterum juxta eundem S. Doctorem, qui provocat aliquem ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum, ingressus Monasterii est finis hujus beneficii temporalis, & tamen non est simoniacus; quia intervenit aliud motivum immediatum, scilicet affectus & devotio erga Monasterium. Sic etiam Sacerdos, qui recipit stipendium pro celebranda Missa, alias non celebraturus, aut non sic applicaturus, non est simoniacus; quia habet justam causam intendendi stipendium ut conditionem sine qua non diceret Missam, aut tali non applicaret. Sic tandem, qui dat centum aureos Petro, ut possit possidere pacificè Beneficium adeptum, in quo vexatur injustè, alias certo non daturus, non est simoniacus; quia habet aliud justum motivum hanc summam elargiendi, nimirum redemptionem injustæ vexationis; & sic sexcenta alia. Vide Cabasutium L. 5. o. 3. n. 11.

In summa ergo, quoties in collatione temporalis ad spirituale obtinendum, aut spiritualis ad temporale, locum habet ratio, vel stipendii, vel vexationis injustæ redimendæ, vel laboris extrinseci, vel obligationis contrahendæ, vel necessitatis, vel amicitie, vel gratitudinis, ut modò specialiter dicam, vel alia quævis ratio vera & honesta, ab ipsa collatione, seu consecutione temporalis, vel spiritualis distincta, non est simonia. Quæ afferam in probationem sequentis conclusionis, etiam pro hac 2. conclusione militent.

Dico 3. Dare temporale pro spirituali, & e contra sincerè & non fictè, ex mera gratitudine, amicitia, aut benevolentia, ita quod sit donum re ipsa absolutè & omnino liberale & gratuitum, non videtur simoniacum. Citantur pro ista Sententia, quæ etiam mihi est probabilior & communior, iudem Auctores Ludati pro præced. conclusione.

Prob. 1. Ex variis locis Juris c. 1. q. 2. c. Sic ut Episcopus 4. dicitur: Is, qui ordinatus fuerit, si non ex pacto (id est, si non ex pacto) neque exactus neque petitus, post acceptas chartas & pallium aliquid culibet ex choro gratie tantummodo causa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus. Ibid. c. Placuit 1. Placuit, ut, quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito manus aliquid a fundatore requirant; si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respiciatur. Ibid. q. 1. cap. Placuit 103. Placuit, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui Infantes suos ad Baptismum offerunt: si quid voluntarie pro suo voto offerant, suscipiantur ab eis. Extra. l. 5. tit. 3. c. Et si questionet. 18. Ubi Alex. III. agens de exiguis muneribus, in vino, electuariis, & similibus, quæ subinde a collatoriis offeruntur collatoribus ex gratitudine, aut amicitia, dicit: Ecclesia Romana interpretari non consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem. Ibid. c. Dilectus 30. Ubi Innoc. III. prohibens admissionem in Monasteriis pro pe-

unia, aut alia re pretio æstimabili, in fine addit: Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum. Et cap. Tua nos 34. ibid. Ubi idem Pontifex agens de eo, qui bona sua Ecclesie offerens admittitur in Canonicum, dicit: Si purè, ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter ut in Canonicum admittatur... hujusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo Simoniacæ pravitate: ergo.

Prob. ratione: Simonia ex sua ratione formali essentialiter requirit, ut temporale detur pro spirituali tanquam pretium vel formaliter, vel virtualiter, ut probatum est in præcedentibus conclusionibus; atqui donum ex mera gratitudine & pretium habent rationes contradictorias, pretium enim est propter & in rigore debitum, donum ex gratitudine est omnino liberum & spontaneum: ergo. Confirmatur a pari de usura. Mutuarius potest licite dare mutuanti aliquid ultra sortem, non quidem vi mutui, sed spontè titulo gratitudinis, aut benevolentie; atqui eadem est ratio simoniæ & usuræ, saltem quantum ad hoc, ut omnes conveniunt: ergo potest licite collaturus dare collatori aliquid temporale, & e contra, non vi, aut titulo collationis, sed titulo gratitudinis, aut amicitie. Majorem expressis terminis docet S. Thomas, & cum eo unanimis Theologorum schola; quia, ut discursit S. Doctor, (Hic q. 78. a. 2. o. & ad 3.) mutuum non est peioris conditionis, quia mutavit, quam si non mutasset; imò est melioris, cum beneficium sit gratificatio dignum; atqui, si non mutasset, posset accipere, quod sibi ab alio spontè & gratis donaretur: ergo. Adde, quod, sicut lex mutui Legem amicitie & gratitudinis non destruit; ita nec Lex vetans simoniam.

Dixi in conclusione sincerè, & non fictè; fateor enim sub ementia gratitudinis, aut benevolentie pallio non raro veram simoniam occultari, & cum, qui re ipsa solo titulo Beneficii accepti, aut accipiendi munera confert, sibi mentiendi, & conscientie remorsibus fucra faciendi, titulum gratitudinis, aut amicitie sæpè fingere & allegare. Non equidem nego, in pluribus casibus simoniam ab intentione pendere; sed errant, qui putant totum negotium hic agi in intentione, quasi ex sola intentionis directione factum re ipsa simoniacum posset excusari. Ut ergo dignoscatur, an verus, aut fictus sit gratitudinis, vel amicitie titulus, attendendum est ad circumstantias, juxta Rescriptum Alexandri III. cap. citato, *Etsi questionet. Extra De Simonia*, ubi ait: *In accipiendis, vel dandis muneribus iria sunt maxime attendenda, persone scilicet dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donatio nis tempus. Qualitas personarum, ut a quo & cui, videlicet, an a paupere dicitur, vel e converso an a divite locuplet datum fuerit: æstimatio muneris, & donationis tempus, si magni, vel minoris pretii res data fuerit, & an instante necessitate, seu alio tempore conferatur.*

Igitur, quando sunt mœra magni momenti, maxime si fiant in pecunia, quando correspondent critèrè valori Beneficii; quando a paupere sunt divini nulli necessitate, aut opportunitate exigente; quando collator antè collationem insinuat se aliquid prætere, ut si inquisiverit, an is, cui vult conferre Beneficium, sit vir honestus, vir gratus, an sciat vivere, &c. In his, inquam, & similibus circumstantiis crede, aut saltem suspicari pro qualitate circumstantiarum, hæc munera reverè collata esse solo titulo Beneficii accepti, aut accipiendi, fictam esse gratitudinem, seu amicitiam, & veram simoniam. Secus, si munera sint leviora, in vino & similibus, proit solent fieri inter amicos: si dantur a divite, si ab amico, consanguineo, si a generoso, qui solet similia elargiri is, qui de ipso bene merentur: si exigente aliqua necessitate, aut opportunitate, in qua convenit gratificare Benefactori, &c.

Petes 1. utrum liceat etiam dare temporale sub spe obtinendi a donatario spirituale, & e contra, titulo amicitie & gratitudinis? R. Affirmative, modò, ut dixi supra, sincerè & non fictè expectetur ut donum spontaneum ex mera gratitudine, amicitia & liberalitate, nullo modo tanquam vi, aut titulo muneris temporalis debitum. Patet 1. quia hoc est dare temporale ut motivum quidem obtinendi spirituale, sed mediante alio motivo honesto, scilicet gratitudine & amicitia, ex qua conciliata speratur gratiæ spirituale; quod licet, diximus in 2. conclusione. 2. Quia licet sperare, quod licet accipere; licet autem accipere ex mera gratitudine & liberalitate donum, ut dicitur in præsentibus Conclusionibus: ergo & sperare.

Petes 2. utrum donum temporale gratuitum pro re spirituali, & e contra, possit deduci in pactum non inductivum

vum obligationem supra obligationem ex gratitudine, quam vocat antidotalem, præsertim si determinetur donum in particulari, ut si dicas: dono tibi Beneficium ea conditione, ut te obliges ad mihi præstandum tale obsequium ex gratitudine, vel etiam obsequium in genere; & e contra: do tibi tale munus, ut te obliges ad mihi dandum ex gratitudine Beneficium.

Ratio dubitandi 1. est, quia pactum de re absolutè licita, aliunde non vitium, est licitum; atqui ex dictis licitum est pro spirituali dare & accipere temporale, & e contra, ex gratitudine, aut amicitia: ergo ea de re licitum est pactum ex efficaci paciscentium intentione nullam pariens obligationem antidotali superadditam. 2. Licitum est petere ab alio, quod ipse ex naturali obligatione tenetur præstare, neque hoc est pretium exigere, vel aliquam obligationem addere: ergo licitum est de eo pacisci, & illud promittere, eo modo quo pauperes etiam ipsi Religiosi promittunt suis benefactoribus gratitudinem per orationes & sacrificia. Ita plerique maxime recentiores. His non obstantibus,

R. ad questionem, prout proponitur, simpliciter, & absolute negative. 1. Quia hæc Sententia directe impingit in propositionem 45. damnatam, de qua in 1. conclusione. 2. Tale pactum est scandalosum apud timoratos, etiam doctos & sapientes, nec dubitandum, quia in foro exteriori reputetur simoniacum. 3. Tale pactum, prout proponitur, est inductivum strictæ & novæ obligationis super antidotalem: ergo simoniacum, juxta regulam Juris supra traditam, scilicet, *Omne pactum obligans ad id, quod non in iure, simoniacum est.* Prob. Ant. 1. vel illud pactum operatur aliquid in ordine ad assicurandum dantem de remuneratione gratitudinis a donatario accipienda, vel nihil; si nihil, ergo frustra fit, & a donatore sane mentis exigi non potest, nec debet; si aliquid, ergo novam obligationem antidotali superadditam, nullus enim alius effectus assignari potest. Prob. idem Ant. Posita conventionem, donatarius consertur donanti injuriam facere, & ique fidei fallere, si non præstet id, de quo conventum est: ergo donatario imponitur onus pretio æstimabile, quod non inest vi gratitudinis præced. Prob. 3. idem Ant. Gratiudo de se obligat ad remunerandum in genere, non ad hoc, vel illo modo remunerandum: ergo saltem, dum pactum est de re determinanda, superaddit novam obligationem antidotali. Prob. 4. idem Ant. Si Petro a te petenti, ut des illi gratis triticum, respondeas te esse paratum, sed ea conditione, ut se obliget ad tibi viceissim dandum triticum vinum, aut ad faciendam dignam remunerationem in genere, eo ipso erit tibi permutatio cum obligatione reciproca, non gratuita donatio; sic non in nostro casu: ergo. Unde, qui dicit, si mihi resignaveris tui Canonicatum, promitto tibi, sive me obligo ad tibi dandum mille aureos, aut ad faciendam dignam remunerationem ex gratitudine, sibi ipsi contradicit, cum exprimat verbis gratituum donationem, quæ reverè est onerosa, & ipsa promissio, seu obligatio ad talem remunerationem evacuet rationem gratitudinis & liberalitatis.

Ex quibus patet, respondendum esse ad utramque rationem dubitandi, falso niti supposito, nimirum hoc pactum non esse inductivum novæ obligationis super antidotalem. Et ad id, quod afferitur de pauperibus & Religiosis, R. juxta communem hominum intelligentiam non esse verum pactum, sed tantum declarationem propositi, quod habent, satisfaciendi obligationi gratitudinis, quam contrahunt ex elemosyna. Quo etiam sensu non accusatur simoniæ eum, qui simpliciter sine pacto, sed sola urbanitate, aut gratitudine diceret conferenti gratis Beneficium: non ingratus ero, memor ero gratiæ collatæ, aut quid simile. Ita censet Sylvius post Binsfeld. Tom. 1. Resolut. de simonia.

Solvuntur Objectiones contra Conclusionem.

Obj. 1. Sequentes propositiones damnatas ab Innocentio XI. *Usuram non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigitur tanquam ex justa debitu.* Est 42. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando pro temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* Est. 45. *Id quodque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiam si sit finis rei spiritualis, sicut illud plures accipiunt.* Theod. Billuart. Secunda Secunda.

metur, quàm res spiritualis. Est 46. R. Has propositiones, quatenus spectant 2. Conclusionem, esse damnatas in sensu reprobatò per 1. Conclusionem, in quantum scilicet ad simoniam exigunt, quod intendatur formaliter & explicitè pretium; nec volunt sufficere, ut intendatur virtualiter in solo motivo obtinendi spirituale nullo alio interveniente. Quatenus verò spectant 3. Conclusionem, sunt damnatæ, in quantum sub ementio nomine gratitudinis important strictam obligationem vi mutui, aut vi collati beneficii, ut explicui in notamine ad calcem 3. Conclusionis, & maxime in responsione ad 3. petitionem: idque ex ipsis eorum terminis innoscitur. Etenim *To Exigere ut debitum* in 2. innuit pactum, saltem implicitum & obligationem plusquam gratitudinis, licet pro pallio addatur. *Ex gratitudine.* In 2. *To compensatio,* compensare enim est *Quasi pari pondere rependere,* & compensatio, Auctore Modestio l. 1. ff. *De compensatio ne,* est debiti & crediti inter se contributio: non sic autem sunt remunerationem verè gratitæ & liberales. Ita has propositiones intelligunt graves Auctores inter quos Steyartius in propositionibus damnatis pag. 36. sic loquitur de 45. *Hujus propositionis damnata doctrina in eo peccat, quod excusati permutacionem spirituales cum temporalibus modo intuitus ille mentis adhibeat, ut temporalis consideretur tanquam pretium, cum interim re ipsa tanquam pretium datur; ut patet ex eo quod exactè ratio valoris intri solet & expendi quantum illud spirituale, vel temporale ipsi annexum utilitatis importet, v. gr. quantum annui proventus habeat beneficium, ut sic res rei non secus respondeat, quam si res, aut equus in foro pretio competenti veniret.* Couster, quæ dixi de usura Diss. 4. a. 4. Conclus. 2.

Obj. 2. Qui dat spirituale tanquam motivum obtinendi temporale, & e contra, alias non daturus, etiam interveniat aliud motivum, propter quod datur spirituale, habet pro fine primario & principali hujus doni spiritualis temporale; atqui primario & principali intendere temporale pro spirituali, & e contra, est simonia: ergo. Major videtur certa ex illa clausula, *Alias non daturus.* Prob. Minor. 1. Auctoritate D. Th. qui hic a. 3. ad 3. dicit, quod, si collator beneficii Principaliter ad favorem humanam intendit, simoniam committit. Et quodlib. 8. a. 11. dicit, Canonicum euntem ad Ecclesiam, ut retributiones accipiat, *Quasi finem sui operis principaliter intentum,* simoniam committere. Prob. 2. eadem Minor ratione P. Henno. Qui dando pecuniam intendit principaliter beneficium, intendit virtualiter, ut pecunia sit pretium beneficii; nam, cum non intercedat aliud principaliter intentum, quo mediante beneficium obineat, immediate vult pecuniam commensurare beneficio: ergo. Hoc argumentum, quod puro esse præcipuum adversariorum, ex omni parte notat. Unde R. 1. N. Majorem. Hæc enim clausula negativa, *Alias non daturus,* aut similis, non importat necessario & semper finem primarium & principale, sed quandoque conditionem sine qua non, aut iudicamentum voluntatis. Sic, v. gr. qui dat, ut recipiat pecuniam pro celebratione Missæ, alias non daturus, aut non celebraturus, non habet pecuniam pro fine principali celebrationis Missæ, nec Missam pro fine principali pecunie. Qui celebrat pro amici graviter ægrotantis sanitate, alias non celebraturus, non habet sanitatem amici pro fine principali celebrationis Missæ. Qui dat elemosinam huic pauperi præ multis aliis, quia consanguineus est, alias non illi, sed alteri daturus, non habet consanguinitatem pro fine primario & principali hujus elemosynæ. Qui consiliis, aut exemplis amicorum motus Sacramenta frequentat, alias non frequentaturus, non habet consilia, aut exempla amicorum pro fine principali frequentationis Sacramentorum; & sic plura alia. Minime ergo necesse est, inquit Cabasutius Theor. & prax. l. 5. c. 3. n. 11. finem primarium esse se solo efficacem; sæpè numero enim fit, ut primarius finis alio fine secundario roboretur ad operationis efficaciam, ut in eo contingit, qui in bellum proficiscitur primario propter Principis sui, aut Reipublicæ studium, qui tamen militie nomen non dedisset, nisi accessisset secundaria intentio, & spes vel glorie apud homines, vel stipendii, vel honorariorum munerum. Aut, ut utar similitudine desumpta ex S. Bonaventura, aliquis sibi spontè assumit primario, non quia habet nasum, sed propter nobilitatem, aut bonos ejus mores, aut etiam propter dorem; quam tamen nullo modo duceret, si nasum non haberet. Ita laudatus Auctor. In ipso itaque ilmine ruit argumentum.

R. 2. Data Majore, N. Min. Ad dignoscendum enim peccatum in materia simoniæ, sicut in materia usuræ, non est

attendendum ad finem primarium & principalem, sive secundarium & minus principalem; sed ad titulum, ex quo accipitur lucrum in mutuo, & temporale pro spirituali in simonia. In mutuo enim, sive primario, sive secundario expectetur lucrum ut debitum ex iustitia titulo mutui, semper est usura; & in materia simoniae, sive primario, sive secundario intendatur temporale ut pretium spirituale, est semper simonia: quia hoc ipso quo voluntas fertur in obiectum formale alicujus peccati, sive primaria & principali intentione, sive secundaria & minus principali seratur, semper peccat. Sic v. gr. qui furatur ad subveniendum amico, ita quod non furaretur, nisi ipsum ad id moveret amici necessitas, reus est furti, licet tamen secundario tantum & minus principaliter intendat furtum, primario autem & principaliter sublevamen amici. Itaque foret Simoniacus Canonicus, v. gr. qui eundo ad Ecclesiam primario intendere honorem Dei, secundario retributionem ut pretium sui operis; & e contra dato foret Simoniacus, si primario intendere retributionem ut stipendium laboris, & secundario tantum honorem Dei: sicut foret usurarius, qui mutuo primario intendere sublevamen proximi, & secundario lucrum tanquam debitum ex iustitia vi mutui; & e contra, non foret usurarius, si primario intendere lucrum ex gratitudine & benevolentia, & secundario tantum aliena miseria sublevamen. Ita Dominicus P. Navarr. Banez, Valent. Rodriguez, Less. Lopez, quos citat & sequitur Sylvius tum hic a. 3. quæst. 3. tum q. 78. a. 1. Unde, quando S. Th. locis cit. in objectione accusat simoniae istum, qui intendit principaliter temporale per spirituale, & e contra, censet illud intendi principaliter quod intenditur ut pretium. Cum enim quodlibet. 8. a. 11. cit. dixisset, Canonice eundem ad Ecclesiam, ut distributiones accipiat quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committere; ibidem in responsione ad argumenta dicit, quod ille, qui vadit ad Ecclesiam propter retributionem, alius non iurus, non peccat, quia, inquit, non ponit impretiabile sub pretio: ergo in sensu D. Thomæ temporale tunc intenditur principaliter, quando non intenditur ut pretium; juxta quam solutionem neganda est ratio Patris Henno, ut infra dicitur, nisi forte intelligat cum D. Thoma, illud intendi principaliter, quod intenditur ut pretium; sed non est necesse sic semper intelligere To Principaliter, nec sic intelligimus in presenti solutione. Vel distinguendum sic: Quidam pecuniam intendit principaliter Beneficium, intendit virtualiter ut pretium, si non interveniat aliud motivum, propter quod datur pecunia, C. Si interveniat, N. Solutio patet ex probatione 2. conclusionis.

R. 3. D. eandem Minorem. Intendere primario & principaliter temporale pro spirituali, e contra, est simonia, si temporale intendatur principaliter ut finis operis, C. Si principaliter ut finis operantis, N. Igitur in collatione spiritualis potest quis intendere dupliciter temporale, & e contra. Uno modo, ut finem operis, ita ut æqualiter æstimentur finis & opus, & tunc finis intenditur ut pretium, & est simonia. Alio modo tanquam finem operantis, quatenus est motivum, seu provocativum voluntatis ad opus, & sic non intenditur ut pretium etiam virtualiter, quando intervenit aliud medium, propter quod datur temporale, vel spirituale, nec consequenter est simonia. Patet ex hinc usque dicitur, & maxime ex variis exemplis prolatis. Id etiam deduco ex D. Th. quodlibet. 8. jam sæpe laudato, ubi accusat simoniam Canonice eundem ad Ecclesiam propter retributionem, si eam intendat principaliter ut finem operis; quia tunc non intendit ut pretium, sive ut verbis S. Doct. utar, quia non ponit impretiabile sub pretio. Adde tamen cum Sylv. eos, qui hoc posteriori modo intendunt principaliter retributiones in frequentatione chori, quamvis a simonia excusentur, non excusari ab omni peccato, cum Deus & Dei cultum principaliter intendere debeant, & si talis sit ordinariæ eorum propositum, graviter peccare; si tantum aliquando, leviter.

Inst. S. Th. in 4. d. 25. q. 3. a. 3. simpliciter asserit sic: *Quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquid spirituale, vel annexum, simoniam committit*: nullo modo discernens, an temporale datur tanquam pretium, aut tanquam motivum, seu incitamentum: ergo. Ita Natalis Alex. & P. Henno. R. quod, quamvis S. Doctor loco cit. non discernat, sufficit, quod alibi discernat, quod evidentè præstat per definitionem simoniae, quam tradit tum hic, tum loco citato: nec enim omnia in omnibus locis discernere

necessum est. Et sanè, si pari modo arguere liceat, inferam ego non posse pro spirituali dari temporale, ut stipendium; quia S. Th. loco cit. non discernit, an temporale datur tanquam pretium, aut tanquam stipendium. Quod opponi posset, eundem S. Thomam docere eum, qui sibi parat viam ad spirituale per temporale, esse Simoniacum; solvetur infra art. 5. Consecratio 6. dicitur probandum ex eodem S. Doct. ipsum loqui de eo, qui directè & immediatè parat sibi viam ad spirituale per temporale.

Obj. 3. Varia Ecclesie decreta, quibus declaratur Simoniacos esse illos, qui *quavis ratione* dant temporale, ut accipiant spirituale, & e contra: ergo. R. Hoc argumentum nimis probare, adeoque nihil probat: ex eo enim sequitur Simoniacos esse, qui dant stipendium ad obtinendam Missam, Canticum, &c. qui dant elemosynam, pauperibus ad impetrandas eorum orationes: hi enim dant aliquid temporale, ut obtineant spirituale. Dicendum ergo, Ecclesie decreta esse intelligenda de temporali dato tanquam motivo immediatè obtinendi spirituale, nullo alio interveniente motivo, propter quod datur temporale, aut ex quo expectetur spirituale, adeoque de temporali dato virtualiter tanquam pretio, ut explicatum est in 1. Conclusionem.

Obj. 4. In eo consistit deformitas simoniae, quod res sacra contra reverentiam ipsi debitam ordinetur ad lucrum & quantum temporalem; sed ubi quis dat spirituale, illud non daturus, si temporale non expectaret, de facto rem sacram ordinat ad lucrum temporale: ergo. Ita P. Henno. R. N. Majorem; quia potest quis ordinare rem sacram ad lucrum temporale, absque eo quod sit simoniacus, & e contra potest esse simoniacus, absque eo quod ordinet rem sacram ad lucrum temporale. Sic, qui celebrat, aut orat pro pane quotidiano, pro recuperanda sanitate, pro pluvia, pro serenitate &c. ordinat rem sacram ad lucrum temporale, & tamen non est simoniacus. E contra qui dat temporale ut pretium spirituale, est simoniacus, & tamen non ordinat spirituale ad lucrum temporale, sed e contra. Falsum est ergo in hoc consistere deformitatem simoniae, quod res sacra ordinetur ad lucrum temporale. Sed in hoc consistit, quod res sacra terrene & vili pretio æstimetur; quod non facit, qui dat temporale pro spirituali & e contra in casu nostræ conclusionis.

Obj. 5. Si ad Simoniam Juris Divini necesse esset, ut quis rem temporalem rei spiritualis pretium esse crederet, aut plures, vel tanti valere, ac rem spirituales, simonia esse non posset absque heresi proprie dicta; atqui id negat S. Th. hic ad 1. ergo ad simoniam non requiritur, quod datur temporale ut pretium spiritualis. Ita Natalis Alexand. R. N. Cons. peccat enim iste sillogismus in hoc, quod non serventur eadem extrema in præmissis & in conclusione, ideoque sunt quatuor termini; ut autem legitime concluderet, deberet inferri: *ergo ad Simoniam non est necesse, et quis credat rem temporalem esse pretium rei spiritualis, ac tanti valere ac rem spirituales; & hoc totum concedimus. Non enim est necesse, nec nos requiritur ad simoniam, quod quis credat, scilicet interius, rem temporalem esse pretium spiritualis, aut tanti valere; sed quod exterius id protestetur vendendo, aut emendo spiritualia pro temporalibus, quasi temporalia essent pretia spiritualium, & tanti valerent; quod fieri potest absque eo quod id credat interius. Sicut v. gr. si quis sciens & fraudulenter commutat rem vilem pro pretiosa, non credit interius rem vilem esse pretium æquivalens rei pretiosæ, & tamen sic exterius protestatur dando illam ut pretium. Solutio est D. Th. hic a. 1. ad 1. ubi ait: *Sicut Religio consistit in quadam fidei protestatione, quam tamen aliquis interius non habet in corde; ita etiam vita opposita Religionis habent quamdam protestationem infidelitatis, licet quandoque non sit infidelitas in mente. Secundum hoc ergo simonia heresis dicitur secundum exterior em protestationem, quia in hoc, quod aliquis vendit donum Spiritus S. quodam modo protestatur esse dominum spiritualis doni, quod est hereticum: vel brevius, si mavis, simoniacus errat practice quando rem temporalem spirituali; sed non est necesse, quod erret speculative judicando illam merito esse illi æquandam, quod foret error: sic omnis peccatis practice errat, non speculative.**

Obj. 6. Eadem est ratio simoniae & usurae; atqui ita mutuans pecuniam, ut illam non mutuetur, nisi aliquid ultra sortem speraret, committit usuram, ergo. Prob. Minor ex c. 10. *De usuris* ubi dicitur: *quod in iudicia animarum quasi usurarius debeat iudicari, qui non alius mutuo tradidit, eo proposito mutuum pecuniam credidit, ut fieri omni conventionem cessante plus tamen sorte recipiat*: et

ergo. Ita P. Henno. R. D. Min.; atqui ita mutuans pecuniam, ut illam non daret, nisi aliquid ultra sortem speraret tanquam ex iustitia debitum vi mutui, usuram committeret, C. Minorem, tanquam ex gratitudine, aut alio titulo, non obligatorio conferendum, committeret usuram, N. Et in 1. sensu intelligendus est Canon laudatus; vel dicendum, sermonem ibi esse de usurario improprie & quoad præsumptionem fori exterioris; unde non dicit, quod debeat absolute iudicari usurarius, sed *quasi usurarius*.

Obj. 7. Simon Magus non obtulit pecuniam Apostolis ut pretium, sed ut motivum obtinendi donum Spiritus S. & Giezi accepit munera Naaman Syri, oblata ex gratitudine tantum: ergo. R. Ad 1. Simon Magus non obtulit pecuniam ut pretium formaliter & explicitè, C. Virtualiter & implicitè, N. Patet ex 1. conclusione: unde S. Th. (*Hic art. 1. ad 4.*) *Simon Magus ad hoc emere voluit potestatem spiritualium, ut eam postea venderet*; & id probat ex cap. *Salvator* caus. 1. q. 3. Ad 2. N. Atulerat enim Naaman multa pretiosa munera tanquam pretium divinationis, ut solebant facere Gentes, dicit Ariolus, aut Pseudoprophetae conveniebant, & ea, ut debita ratione sanationis, petiit Giezi: unde S. Doctor (*Ibid.*) dicit, *quod illi, qui vendunt spiritualia, in actu imitantur Giezi discipulum Elisæi, de quo legitur 4. Reg. c. 5. quid accepit pecuniam a leproso mandato*.

Obj. 8. Spirituale debet dari omnino gratis, juxta illud Christi: *gratis accepistis, gratis date*: ergo. R. Illud verè gratis dari, quod datur ex pura amicitia, benevolentia, aut gratitudine, absque ulla obligatione.

Inst. 1. Gratitudo obligat: ergo, quod datur ex gratitudine, non datur gratis. R. gratitudinem non secus, ac amicitiam late & levissime obligare, atque vix sub veniali, ita ut non tollat titulum liberalitatis & gratificationis, seu doni gratuiti. Aliud non uno determinato modo, sicut in aliis strictis obligationibus, sed innumeris modis ei satisfieri potest. Adde, quod hæc obligatio non imponatur a collatore, seu benefactore, sed naturaliter sequitur ex ipso beneficio collato. Vide D. Th. q. 80. q. 106. a. 1. ad 2. & q. 108. a. 2. ad 1.

Repones: obligatio, quam requirimus ad hoc, ut spirituale non censeatur gratis datum, & sit simonia, vel est obligatio iustitiæ, vel non: si primum, cum hæc nascatur ex pacto tacito, vel expresso, non foret simoniacus, qui in collatione spiritualis sola mente intendere accipere temporale ut pretium, vel qui sic daret temporale pro spirituali, quia, cum tunc abesset omnis pactio etiam tacita, nulla esset obligatio iustitiæ. Si secundum, debet assignari, qualis altera sit obligatio. R. communitè requiri a patronis hujus sententiæ obligationem iustitiæ. Ad id verò, quod opponitur, dico, etsi non ad sit obligatio iustitiæ defectu pacti, eam tamen intendi, hoc ipso quo intenditur pretium; quod sufficit ad simoniam mentalem, qualis est hæc. Ceterum nolim ego scrupulose distinguere, qualis debeat esse ista obligatio; sed puto sufficere quamvis obligationem superadditam ei, quæ ex natura rei inest gratitudinis, seu amicitie, sive sit rigorosa iustitiæ, sive minus stricte, ita quod temporale non datur a collatore omnino spontaneè, liberaliter, & gratuito, sed quodammodo obligatorie & coactè, sicque tollatur ratio doni purè & omnino liberalis.

Obj. 9. Si vera sit sententia nostra, nullus nisi hebes & plumbeus committit simoniam; quisquis enim volens accipere beneficium, poterit absque simonia dare collatori mille aureos, aut quidvis aliud, modo id non intendat dare ut pretium, sed ut motivum, neque expectet beneficium ex iustitia, sed ex gratitudine; quod sanè cuique facillimum est; absurdum Consequens: ergo. R. nos huic inconvenienti occurrere per annotationem ad calcem probationem tertie conclusionis, & per varias explicationes hinc inde datas in solutionibus objectionum. Quapropter nego id cuique sincerè agenti esse facillimum. Imò in ipso casu posito patentissima est fides gratitudinis illius: quis enim nisi verè hebes & plumbeus, nulla præcunte amicitia, nulla exigente necessitate, dedit unquam, aut dabit alteri mille aureos, & non intendat ad eo nisi meram gratitudinem omnino spontaneam, absolute, & ex omni parte liberam, absque alia obligatione, aut certitudine compensationis? Non ergo faveat hominum cupiditati sententia nostra, si rectè intelligatur, sed eam intra justos limites coëcet. Ceterum lubens agnosco, praxim hanc dandi temporale, ut motivum obtinendi spirituale ex gratitudine, & e contra, non solum esse periculosam propter tot conditiones, quas ad ejus legitimum usum requirimus, & quia, ut dicitur Exod. 23. *Monerunt excacant grum*. Theol. Billuart. Secunda Secunda.

dentes, & subvertunt verba justorum: sed etiam esse plerumque scandalosam, nisi certè cautela adhibeatur; atque præ se ferre præsumptionem simoniae, saltem quantum ad forum externum. Quapropter vix, aut ne vix consulerem, nisi ubi mihi certò constaret de recta intentione agentis. Neque in hanc sententiam descendi, nisi cogente veritate, & quia video oppositam sententiam non posse defendi, nisi evertendo notiones communes & apertissima D. Th. principia, omnium Scholarum calculo probata, concalcando, aut eludendo.

Petes 1. utrum sit simonia promittere, vel dare, seu legare temporale sub conditione alicujus boni spiritualis præstandi a donatario in suam propriam utilitatem? v. gr. promitto Titio centum nummos, si baptizetur, si frequenter Sacramenta: lego Caie mille florenos, si Religione profiteatur. R. negativè. Quia temporale in hoc casu non habet rationem pretii, sed meri motivi alicuius donatarii ad proprium bonum, & donans nihil accipit, aut alter ejus nomine, sed totum cedit in utilitatem donatarii. Caveat tamen iste, ne temporale oblatum recipiat ut pretium spirituali; sic enim foret simoniacus.

Petes 2. an, qui fidei promittit alteri temporale pro spirituali, & e contra, sit simoniacus. R. sub distinctione. Si fictio sit partialis, ita ut habeat animum merè promittendi, & se obligandi, non tamen præstandi quod promittit, & ratione illius pacti obtinet beneficium, ideoque simoniacus, nec enim voluntas non præstandi destruit priorem intentionem promittendi & se obligandi, ut alibi diximus. Si verò fictio sit absoluta, sic ut habeat animum non solum non præstandi, sed neque verè promittendi, nec se obligandi, probabile est, quod non sit simoniacus; quia tunc non est verum pactum, sed mera fraus, nec consequenter obtinet spirituale per pecuniam promissam, cum reverà non promittatur, sed per fictionem. Peccat itaque & alterum fallendo, & simoniae ipsius consentiendo, non tamen, ut videtur, simoniam committendo. Attamen in foro exteriori, ubi sola exteriora spectantur, reputabitur absolute simoniacus.

ARTICULUS IV.

Utrum sit simoniacum spiritualia dare, non solum pro munere a manu, sed etiam pro munere ab obsequio, & a lingua?

Nota: (*Hic a. 5. in arg. sed contr.*) Triplicis generis pretium distingui in venditione, seu emptione spiritualium, non secus ac in usura, ex Urbano II. caus. 1. q. 9. cap. *Salvator*, scilicet munus a manu, munus, ab obsequio, & munus a lingua. Munus a manu (*Ibid. o.*) est pecunia data, vel promissa, seu quodvis aliud donum pecunia æstimabile. Munus ab obsequio est ministerium, seu officium temporale, alteri exhibitum, vel exhibendum. Munus a lingua est laus, seu commendatio, qua quis apud alium laudatur, seu commendatur, ad aliquem favorem humanum obtinendum. (*Ibid. a. 3.*) Item preces, quæ pro aliquo funduntur ad procurandum ei bonum, vel malum ab eo avertendum. Imò preces ipsæ, quæ fiunt pro obtinendo beneficio, si in eis attendatur favor precantis tanquam merces beneficii.

Dico 1. (*Ib. o.*) Non est minus simoniacum dare, vel accipere munus ab obsequio, vel a lingua tanquam pretium, aut ex pacto pro re spirituali, quam munus a manu. Patet ex Urbano II. loco cit. ubi dicit: (*Ibid. arg. s. c.*) *Quisquis res Ecclesiasticas non ad quod instituitur sunt, sed ad propria lucra, munere lingue, vel indebiti obsequii, vel pecunie largitur, vel adipiscitur, simoniacus est. (Ibid. o.)* Et ratio est; quia hæc pecunie pretio æquivalent, & æstimari possunt. Hinc inferes, (*Ib. ad 1.*) esse simoniam, dum quis temporaliter intersit collatori, ea lege ut loco stipendii ipsi conferat Beneficium. Posset tamen excusari, si interseret collatori gratis ea intentione, ut ipsi innotesceret, benevolentiam captaret, & deinde ex benevolentia & gratitudine consequeretur Beneficium, ut concedit Sylvius hic Conclusionem 2. & patet ex Art. præcedenti. Id tamen est valde suspectum. Si autem aliquis Clericus (*Ibid.*) alicui Prelato impendat obsequium ad spiritualia ordinatum, puta in utilitatem Ecclesie, vel auxilium Ministrorum, ex ipsa devotione obsequii redditur dignus Ecclesiastico Beneficio, sicut propter & alia opera bona; unde non intelligitur esse munus ab obsequio.

Inferes 2. esse simoniam, dum quis confert beneficium alicui eo pacto, ut ipsum laudet, vel commendet apud Principem, aut ut impetret sibi, vel ad se pertinentibus

atque favorem. Si tamen preces, laus, commendatio, fa- vor, & hujusmodi habeant tantum rationem causae motiva...

Inferes 3. esse simoniacum dare aliquid familiaribus Episcopi, aut collatoris pro intercessione, seu commenda- tione ad Beneficium, si intercessio, seu commenda- tio spectetur praecise, ut est medium ad Beneficium ob- tinendum...

Similiter non videtur simonia, si des aliquid familiaribus, aut domesticis collatoris, ut per eos habeas aditum ad colla- torem, si sis ignotus, ut per eos innotescas collatori; sic enim non intendis direce beneficium, sed tantum ut innotes- ciant tua merita collatori, cum spe quidem obtinendi benefi- cii, si eo dignus, aut dignior judicetur.

Dico 2. (Ibid. ad 2.) Collatio Beneficii, seu alterius rei spiritualis facta alicui ratione consanguinitatis, amicitiae, aut alterius affectus carnalis est illicita; quia est ac- ceptio personarum, & deest recta intentio, nisi aliunde consanguineus, aut amicus foret aequo dignus, aut dignior aliis: (Ibid.) Non est tamen simoniaca, quia nihil ibi ac- cipitur, aut exigitur, saltem quod sit pretio aestimabile. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, aut ven- ditionis, in quo fundatur simonia. (Ibid.) Si tamen ali- quis det Beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto, vel in- tentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est mani- festa simonia.

Dico 3. (Ibid. ad 3.) Qui precibus pro indigno por- rectis motus, ei confert beneficium, aut est revera simonia- cus, si nempe preces ut civilem obligationem, vel precanti- bus favorem ut pretium attendat; aut praesumitur talis in fo- ro exteriori, quia, cum non promoveat talem indignum ratione capacitatis, quam scit non adesse, praesumitur pro- movere spe alicujus mercedis, quam expectat a rogante, aut ejus precibus quasi civili obligatione constrictus. Et hoc sensu, inquit Sylvius, intelligendum est, quod dicit S. Th. hic ad 3. esse simoniacum: Qui preces pro indigno porrectis exaudit.

Si autem (Ib.) preces pro digno porrigantur, non est si- monia; quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur; tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem, sed ad favorem humanum.

Si tandem aliquis (Ib.) pro se rogat, ut obtineat cu- ram animarum proprio iudicio se reputans dignum, aut dig- niorum; regulariter ex ipsa praesumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno, ideoque simoniaca collatio, est nempe sensu, quem modo initio hujus assertionis ex- pressimus; vel realiter, vel praesumptive. Licet tamen (Ibid.) potest aliquis, si sit indigens, pro se Beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum; tum quia erga Beneficium simplex vix reperitur praesumptio, cum minima capacitas ad illud sufficiat, & aliunde id spectetur velut supplementum Tituli, qui non sufficit ad congruam sus- tentationem Clerici. Id autem S. Doctor non concedit Clericis divitibus; quia id videtur a Jure prohibitum, Extra. C. Ad aures De Rescriptis, & alibi: utrum vero haec Jura rime obligent, & in usu legitimo, vel potius abusu, Bene- ficium saepius conferatur divitibus, quam pauperibus, viderint collatores.

Dico 4. Proprio iudicio se reputans dignum, aut dig- niorum: sic enim, juxta Sylvium & alios S. Th. Interpre- tes intelligendus est S. Doctor, cum dicit hic: Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno. Dicit enim quis velit Beneficium, cui annexa, est cura animarum, habens aliunde testimonia capacitatis, aut volens se subicere examini & iudicio Superiorum, qui judicent, an sit dignus, vel dignior, nihil videtur de se praesumere, nec consequenter est indignus ex isto capite; idque maxime, cum tunc non censeatur petere absolute, sed conditionate tantum; si nempe iudicetur dignus. Hanc interpretationem esse legitimam, confirmant concursus in multis casibus institui, & a Concilio Trid. sess. 24. de Ref. c. 18. ordinati, in

quibus plures se offerant ad Beneficium Pastorale, adeoque petunt. Suffragantur insuper jura graduatorum in Academicis, qui beneficia ratione graduum postulant, nec a quocumq; damnantur.

Hanc utramque confirmationem Natalis Alexander, haec in parte nobis adversarius, non tam infirmam, quin potius roborat suis responsionibus Epist. 25. Et t. quoad concurren- tes, excusat illos, eo quod se subiciant iudicio Praesu- lis. Hoc & nos dicimus de postulantis pro se: verum, in- quit, concurrentes non postulant pro se Beneficium. Dic- quaso, ut quid se sistunt examini, nisi ut obtineant Bene- ficium, si eo digni renuntientur, quod est sane aperta petitio saltem conditionata, qualis est in iis, quos defendimus. Ad- dit, concurrentes se sistere obediunt, zelique impulsu. Quoad zelum, id & nos requirimus. Quoad obedientiam au- tem, frivolum quam maxime. Quasi vero Episcopi indicen- tes concursum praepcepto quemque compellant, & non nisi liberè volentes concurrere tantum monent.

Quantum ad graduatos; ipsos excusat, quatenus, inquit, jure ab Ecclesia sibi concessa utuntur. Sed contra: Eccle- sia non potest concedere jus ad id, quod juxta laudum Auctorem est Jure divino & naturali illicitum. Vel ergo fa- tiendum, quod petere pro se Beneficium non sit secundum se illicitum, vel negandum, graduatos ad id ultimum jus ha- bere ab Ecclesia. Non se ingerunt, inquit; nec etiam ii, de quibus loquimur, se ingerunt, cum non petant, nisi quate- nus capaces ab aliis iudicantur. Isti enim, non secus ac il- li, debent habere testimonium capacitatis, aut se Praelato- rum examini, ac iudicio subicere.

Nonnulli interpretantur dictum D. Th. de Episcopatu, & non de Beneficio Parochiali; quia, inquit, juxta S. Doc- torem q. 184. a. 2. ad 2. & 3. soli Episcopi primo & prin- cipaliter habent curam animarum, Presbyteri Curati autem minus principaliter tamquam venientes in subsidium Episco- porum; quo fit, quod ita se habeant ad Episcopum, inquit S. Doctor, sicut Ballivi, vel Praepositi ad Regem: & prop- ter hoc, sicut in mandatis potestatis solus Rex benedic- tionem solemnem accipit, alii vero per simplicem commis- sionem instituantur; ita etiam in Ecclesia cura Episcopalis cum solemnitate consecrationis committitur; cura autem Archidiaconatus vel Plebanatus cum simplici injunctioe. Haec ibi S. Th.

Dico 2. Regulariter: Quia, licet in petendo absolute pro se Beneficio sit quidem regulariter praesumptio major, aut minor pro dignitate Beneficii, aut petentis incapacitate; (Hic q. 185. a. 1. o.) potest tamen contingere, quod nulla sit, nempe in manifesta Ecclesiae necessitate, puta, si non nisi scandalosi & manifestè indigni essent promovendi, aut nullus esset, qui vellet Ecclesiae inservire.

Petes, utrum facere, aut dare spiritualia prop- ter timorem humanum sit simonia? Facere, aut dare ad evi- tandum imminens damnum temporale sive in vita, sive in fama, sive in fortunis; seu, quod idem est, ad redi- mendam vexationem in temporalibus, sive justam, sive injustam. R. 1. Facere spiritualia prop- ter timorem huma- num v. gr. frequentare Sacramenta ad vitandam penam a Praelato constitutam, non est simonia. Quia neque Prae- latus, neque alter ejus nomine aliquid accipit, sed to- tum cedit in utilitatem praestantis spiritualia, neque iste habet vitiationem poenae pro pretio actus spiritualis, sed pro incitamento dumtaxat. R. 2. Dare spirituale, v. gr. Beneficium prop- ter timorem humanum, hoc est, ad vi- tandum damnum in temporalibus, si nullum omnino in- terveniat pactum, nec cessatio nocumenti spectetur ut pretium Beneficii, sed Beneficium gratis detur ut moti- vum placandi animi vexantis, & ut ipse placatus, abs- que nova obligatione vi collationis contracta, amicitabiliter cesset a nocumento, non est simonia. Patet ex dictis art. praeced. concl. 2. & 3. Quia scilicet tunc non datur spiritua- le immediate pro cessatione a nocumento, sed intervenit aliud motivum.

Si vero conferens Beneficium inest pactum, ut alter ces- set a vexatione, est simonia. Idque verum puto, sive sit obli- gatio cessandi a praesenti vexatione, sive cessandi in poste- rum, contra quosdam, qui id negat de obligatione cessandi a praesenti vexatione. Ratio est; quia sic est Jure spirituale immediate pro temporali: nullo alio motivo interveniente, scilicet pro ipsa liberatione a vexatione temporali, quod est pretio aestimabile. Et haec videtur expressa sententia D. Th. absolute dicens: (In 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 2.) Non est chibium, quod simoniam committeret, si quis aliquid spiri- tuale debitori suo daret, ut quod suum est, recuperaret. Intellige ex pacto tacito, vel expreso.

D-

Dices 1. Non est usura dare mutuum suo debitori cum pacto, ut solvat debitum: ergo a pari non est simonia, &c. R. N. Conseq. quia usura consistit in expectatione lu- cri ex mutuo, lucrum autem est rei alienae. Et simonia consistit in expectatione temporalis pro spirituali, sive tem- porale sit proprium, aut alienum. Porro in casu objectio- nis non expectatur alienum. In nostro autem expectatur temporale pro spirituali.

Dices 2. Ex hoc quod quis non me occidat, non infam- met, non spoliat, nihil mihi dat: ergo. R. D. Ant. nihil dat positivum, C. Nihil dat negativum, N. Ista enim non occisio, non infamatio, seu ab his cessatio, & liberatio, licet censeatur quid negativum, esse tamen quid moraliter pretio aestimabile, pro quo aliquando latronibus sol- vuntur expectationes menstreae.

Dices 3. Extra. Libr. 1. De his, quae vi, methuse causa fiunt, cap. Abbas, cap. Ad aures, & cap. Ad audientiam. Pontifices jubent restitui Ecclesiae iis, qui metu cadente in constantem virum esse resignaverant, seu abdicaverant: ergo censeant Pontifices, eos non commisisse simoniam, alioquin potius illos suis Ecclesiae privasset. R. 1. In casibus objectionis nullum intercessisse pactum ex parte resignantium, seu abdicantium, neque ab ipsis impositam fuisse vexationem obligationem cessandi a vexatione, sed simpliciter cessisse juri suo, ut inde placati vexantes quies- cerent: quod non damnatur simonia, ut patet ex 1. parte responsionis. R. 2. Dato Ant. N. Conseq. Quamvis enim concederemus resignantes, seu abdicantes in casibus conclusionis fuisse Simoniacos, non sequitur ideo debuisse privari suis Ecclesiae, id enim nullo Jure statuitur. Quin potius debebat illis restitui, quia resignatio vi, aut metu extorta caret robore, & est nulla, ut in idem dicitur; & quia qui metu gravi peccat, venia dignus est, & indulgentia.

Ex dictis colliges, pari jure simoniam esse, si conferens Beneficium paciscatur cum Beneficiario, ut conferenti, vel alteri reddat, seu praestet, quae solim debet ex charitate, vel Religionis, aut alia virtute distincta a justitia, v. gr. ut, si sit medicus, conferenti aegrotanti ferat, accepto stipendio; opem, quam is ab alio habere non potest: ut tali pauperi graviter indigenti succurrat, &c. Quia haec obligatio civilis, quae obligationi alterius virtutis su- peradditur, non tantum in utilitatem spirituale Beneficiarii, quatenus sic peccatum vitat, & suo debito satisfacit, sed etiam in utilitatem temporalem conferentis; aut alterius ejus nomine. Secus, si ageretur tantum de debito spirituali, ut de Communionis Paschali non omit- tenda, de vitando malo consortio, &c. aut si sine ulla obligatione urgeret conferens executionem debiti temporalis, movendo tantum, rogando, suadendo, ex- hortando, &c.

ARTICULUS V.

De Simonia circa res spirituales in particulari.

Nota. Diximus, simoniam versari circa spiritualia, & spiritualibus annexa. De simonia circa spiritualia hoc art. agimus, & quia, ut dixi, sunt diversi generis spiritua- lia; alia enim sunt spiritualia secundum se, alia causaliter, alia effectivè; de singulis questio est, an & quomodo in illis committatur simonia? Primum statuum quasdam con- clusiones generales, ex quibus consecutaria deducam circa particularia seorsim. Unde. Dico 1. (A. 2. & 3. o.) Dare, vel accipere pecuniam, sed aliquid aliud pecunia aestimabile tamquam pretium pro Sacramento, pro gratia per ea collata, pro Missis, pro Oracionibus, pro Laudibus divinis, pro sacra Concone, aut Catechismo, pro statu Religionis, pro usu Jurisdictionis spiritualis, pro usu Prophetiae, pro collatione miraculosa sanitatis, & aliis hujusmodi, est cri- men simoniae Juris naturalis, quod nulla consuetudine ex- cusari potest. Sequitur ex dictis, quia haec omnia, ut pa- tet, sunt spiritualia, vel secundum se, vel quatenus causant gratiam spiritualem; vel quatenus a gratia spirituali procedunt, & ad eam disponent.

Dico 2. (Ibid.) Dare tamen, vel accipere pro praefatis rebus spiritualibus aliquid temporale, non tamquam pre- tium mercedis, sed ut stipendium sustentationis, non est simoniacum, nec illicitum. Est autem haec differentia in- ter pretium, & stipendium, quod pretium dicitur per res- pectum ad rem, cum qua commutatur, & cui appretia- tur, ac aequiparatur. Stipendium vero dicitur per respec- tum ad personam, quam aequum est sustentari ab iis, quorum utilitati deservit. Prob. conclusio ex ratione na-

turali, & ex institutione Christi apud Apost. 1. Cor. 9. ubi sic discitur: Quis militat suis stipendiis inquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? ... Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserunt, cum altari participant: ita & Dominus ordinavit iis, qui Evan- gelium annuntiant, de Evangelio vivere.

Adde illud Math. 10. Dignus est operarius cibo suo. Unde Apost. ad Rom. 15. dicit iterum, Gentiles, qui facti sunt participes spiritualium per pauperes Sanctorum, qui sunt in Jerusalem, debere illis in carnalibus ministrare. Haec quae praeter ordinationem Christi ratio naturalis, in qua haec Scripturae loca, & nostra assertio fundatur, est, quia qui mi- nisteriis spiritualibus incumbunt, privant se facultate vacan- di aliis negotiis temporalibus, ex quibus sibi necessaria ad sustentationem comparant, idque in commodum populi: ergo tenetur populus ipsis necessaria sustentationi ministra- re, sicut ei, qui utiliter alterius negotia gerit, debetur ex justitia sustentatio necessaria, quam aliunde acquisivisset, si per ea negotia impeditus non fuisset.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ

CONSECTARIUM I.

Stipendia Ecclesie Ministris debita non esse puras elemosinas.

Colliges 1. ex dictis, ea, quae Ecclesiae Ministris a populo conferuntur, non esse puras elemosinas, sed stipen- dia Sanctis laboribus ex justitia debita; sicut debentur ei, qui alterius negotia utiliter gerit, ut dixi. Elemosyna enim datur simpliciter inritu paupertatis, & absque obligatione ad aliquod opus, nisi quod pauper Jure naturae tenetur esse gratus suo benefactori. Non sic autem stipendia collata Ministris Ecclesiae. Unde merito damnatur in Concilio Constant. sess. 8. a. 18. hoc Wiclefii dicens, decimas esse puras elemosinas: & Parochianos posse ob peccata suorum Praelatorum eas ad libitum subtrahere.

Nec obstat, quod Trid. sess. 22. in Decreto de observan- dis in celebratione Missae, & sess. 25. cap. 4. de Ref. vocet elemosinas stipendia Missarum, & pia legata. R. enim vocari elemosinas lato sensu, quatenus ex parte donan- tium sic gratis conferuntur, ut aliter de iis potui sent dis- ponere: licet tamen, ubi semel collata sunt, exurgat obli- gatio ex parte accipientium, & adimpleto Officio debeatur Ministris stipendium.

Hinc ulterius sequitur, in rigore loquendo, Ministros Ec- clesiae posse absque simonia nedam exigere, sed & praecise de certo stipendio, sive sint pauperes, sive divites. Quisquis enim potest exigere & pacisci de eo, quod sibi debetur; Mi- nistris autem, sive divitibus, sive pauperibus, debetur ratio- ne ministerii stipendium sustentationis, ut dictum est.

Nec obstat, omnia pacta in spiritualibus prohiberi a Jure ut simoniaca, ut dixi: id enim intelligitur de pactis ob- liganibus ad id, quod non inest jure, ut notavi in regula supra posita. Aliunde, ut ibi notavi, haec Jura in quibus- dam locis contraria consuetudine abrogata sunt.

Dico 1. In rigore loquendo; quia longe melius foret ni- hil pacisci, sed liberaliter oblata, aut per Superiores taxa- ta recipere. Sic enim magis caveretur periculum simoniae, & obviaretur scandalis, facile inde oritur inter simplices. Et ideo rectè advertit S. Doctor, (A. 3. o.) quod ab in- vitis nihil debeat exigi per spiritualium subtractionem, quae sunt exhibenda; quia hoc haberet quandam vendi- tionis speciem. Sed spiritualibus gratis prius exhibitis, li- citè possunt statuta, & consuetudine abrogata, & quicum- que alii proventus exigi a nolentibus; & quicum- que auctoritate Superiorum interveniente. Et infra: (Ib. ad 2.) illicita foret ordinatio, si in aliqua Ecclesia statureretur, quod non fieret Processio in funere alicujus, aut aliquid hujusmodi, nisi solvatur certa pecunie summa, quia per tale statutum praecederetur via gratis officium pie- tatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordi- natio, si statureretur, quod omnibus certam elemosy- nam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non praecederetur via alii exhibendi. Et aliunde prima ordi- natio habet speciem exactionis; secunda gratuita com- pensationis.

Dices 1. Si Clerici possint exigere, & pacisci de certo stipendio, idque ipsis debeatur ex justitia: ergo gratis non ministrant. Unde, quia Apostolus non receperat stipendium